DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ACIDI OXALICI VI VENENATA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LUDOVICUS PEREY,

Lausannensis,

SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

——— dira barbaræ minus
Venena Medeæ valent.——
HORATIUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

PATRI OPTIMO CARISSIMO,

LUDOVICO PEREY, M. D.

CONCILII MEDICORUM REIPUBLICÆ VALDENSIS,

ASSESSORI;

NOSOCOMII IBIDEM GENERALIS,

NECNON VALETUDINARII INSANORUM,

MEDICO,

&c. &c. &c.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA PIETATE

CONSECRAT

FILIUS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ACIDI OXALICI VI VENENATA.

ACIDUM Oxalicum, regni vegetabilis indigena, formam habet prismatis gracilis, quatuor laterum, angulis inæqualibus, et extremis partibus extenuatis. Crystalli pellucidi, nitidi, albidoque colore, aëre parum immutantur, vel leviter tantum inarescunt *. In phiala calefactum vaporat, parvi crystalli superiorem vasis partem petunt, neque ullum carbonium in imo manet. Aqua solvitur, sed ad-

* MURRAY, System of Chemistry, Vol. iv, p. 274.

jecta Calce, Oxalas Calcis protinus descendit, Nitrico Acido, non autem Oxalico, solvendus *. Magnesia sociatum, salem inertem, insipidum, Aquaque insolubilem, gignit.

Duplici modo obtinetur; vel ex Saccharo, unde olim Acidum Sacchari audiebat, quo nomine etiam hodie in Britannia venundatur, vel ex succo Oxalidis Acetosellæ, unde nomen usitatius accepit. Hunc SCHEELIUS, illum modum BERGMANNUS primus excogitavit: Succus, scilicet, Acetosellæ, Super-Oxalate Potassæ refertus, Acetatem Plumbi in Oxalatem, et hic, rursus, Acidum Sulphuricum in Oxalicum convertit †.

Parum in medicina, multum in artibus usurpatur, ad summas nempe ocreas, ephippiaque, et habenas detergendas, atque ad atramenti maculas delendas. Sulphatem Magnesiæ specie referens, loco salis hujus purgantis inscientibus interdum assumptum est, quo infelici errore vis Acidi summe venenata haud multis abhinc annis innotuit. Primum hujusmodi exemplum eruditus ROY-

---

* ORFILA, Traité des Poisons, Vol: I, p: 480.

† MURRAY, loco citato.

STON, in scripto medico cui nomen *The London Medical Repository*, A: D: MDCCCXIV, commemoravit, ex quo tempore alia nimia exstiterunt exempla. Experimentis præterea in bestias, factis præclarus ORFILA in Gallia, et A: T: THOMSON, Londinensis, noxias hujus Acidi facultates uberius confirmaverunt.

EXEMPLUM PRIMUM *.

Die tricesimo mensis Martii, A: D: MDCCCXIV, virgo quædam, quadraginta annos nata, loco Sulphatis Magnesiæ, semi-unciam Acidi Oxalici ex aqua sumpsit. Statim torminibus corripitur, facies adstricta est, pulsus percipi non potest, vomitu humorem atrum, alvo etiam plurimum humoris rejecit, et quadraginta minutis post potionem elapsis, obiit.

Cadavere hora vicesima octava post mortem patefacto, facies peritonealis ventriculi et intestini ilei multum inflammata, observatur. Colon sine inflammatione coarctatum, abdomen minime flatu tumidum. Ventriculus contractus, in duas

* London Medical Repository, Vol: I, p: 382.

partes, cardiacam et pyloricam, dividi videtur. Incisus nigri humoris uncias duodecim emittit, et membranam mucosam valde inflammatam maculisque obscuris intertinctam ostendit. Thorax integer est. In capite, magna copia humoris limpidi inter arachnoideam tunicam piamque matrem invenitur, pars medullosa cerebri solito albidior, et tela choroidea magis pallida quam plerumque fit ubi cerebrum sanguine turget.

EXEMPLUM SECUNDUM *.

Die tricesimo primo mensis Martii, A: D: MDCCCXV, *Ricardus Russel*, annos natus viginti sex, medicamenti cujusdam, quod Sulphatem Magnesiæ putabat, unciam devoravit. Paulo post reclinatus invenitur, sermone vernaculo exclamavit, " *I am poisoned!*" et quarta hora parte post acceptum venenum, extinctus est.

Inciso cadavere, ventriculus valde inflammatus, et intima ejus membrana plane corrupta conspiciuntur. In sacculo hominis vestis, grana aliquot Acidi Oxalici, chartula involuta, reperta sunt.

---

* London Medical Repository, Vol: iv, p: 460. Anno 1815.

EXEMPLUM TERTIUM *.

Mense Novembris A: D: MDCCCXVI, ætatis autem suæ vicesimo quinto, *Rachel Fage*, unciam circiter salis cujusdam a marito suo casu reperti, loco Sulphatis Magnesiæ, accepit. Statim doloribus ventris cruciatur, paulum humoris evomuit, et quarta horæ parte post potum, expiravit. Portio salis, quæ ad quartam unciæ partem insoluta mansit, Acidum Oxalicum esse reperitur.

Cadavere tertio die post mortem inciso, intima gulæ et ventriculi membrana, materia quasi carbonum infecta videtur. Ventriculus nonnullis locis plane perforatus, contentum humorem in cavum abdominis transmiserat. In aliis locis adeo mollis ut levissimo conatu dilaceretur. Rugæ membranæ mucosæ adhuc conspiciendæ, sed admodum corruptæ, digitis abstergi potuerunt. Lien, qua ventriculum attingit, pene destructus est.

---

* London Medical Repository, Vol: vi, p: 474. Anno 1816.

EXEMPLUM QUARTUM *.

Die sexto mensis Octobris, A: D: MDCCCXVII, A—— M——, Calpensis, semi-unciam Acidi Oxalici, loco Salis Cheltenhamiensis, devoravit, Acido sapore statim admonitus, errorem accidisse intellexit. Vehementi faucium et ventriculi irritatione cruciatus, aquam sumpsit, quæ vomitum movit. Post tertiam horæ partem, Tartratis Antimonii grana quatuor, pharmacopola quodam administrata, vomitum et dolorem intenderunt. Advocatus FRASER, Liquoris Ammoniæ, qui in promptu erat, duas parvas potiones valde dilutas dedit, quod magnum faucibus gulæque dolorem concitavit. Magnesia tandem comparata et copiose ingesta statim ægrum levavit, qui coagulo lactis simile vomitu rejecit, et gratias pro tanto levamine plurimas dedit. Attamen dolor ingens, spasmi, vomitus paulo post redierunt; magnesia ad duas uncias vel amplius, partitis vicibus, adhibetur. Alvus emollientibus

* Edinburgh Medical and Surgical Journal, Vol: xi, p: 607. Anno 1818.

ducta naturalis descendit. Quod vomitu redditur sanguine tinctum est. Lingua nunctumida, et quasi adusta, crassa albidaque crusta obducitur. Spiritus difficilis est, pulsus vix percipiendus, homoque universum torporem conqueritur. Membra frigida sunt, ungues lividi, sudorque viscidus totum corpus perfundit. Sanguinis missio, Opium, potiones diluentes, fomenta epigastrio, frictio membrorum, hæc signa levaverunt, ægrumque in meliore statu posuerunt. Sed vomitus, interdum, materiæ acidi saporis, doloresque ventris, perstiterunt; accedunt singultus, et difficultas devorandi; homo macrescit, imbecillus fit; lingua, fauces, dentes, arescunt, sordibusque nigris, sicut in febribus lentis nervosis, obteguntur; pulsus frequens et imbecillimus fit, papulæ prurientes totum corpus percurrunt; et vicesimo tertio die postquam venenum cepisset, obiit æger. Per id spatium Sulphas Magnesiæ, Oleum Ricini, absorbentia, atque Opium, balnea, enemata, et fomenta oleosa, adhibebantur.

Cadavere hora quindecima post mortem inspecto, eruptio pene desierat, corpus valde macrum atque adipis fere expers reperitur. Ven-

triculus, præsertim juxta cardiam, et parva portio intestinorum, inflammationem intrinsecus ostendunt. Ventriculus adhuc integer paulum humoris atri continebat. Tunica mucosa ventriculi gulæque, vel plane deleta, vel mollis et corrupta, spongiæ aut digitorum frictione abraditur. Tunica musculosa, solito crassior est, vasis sanguineis turgida, et obscuro colore. Fibræ longitudinales circularesque maxime distinctæ sunt, et facile separantur. Intestina tenuia eundem aspectum ostendunt, sed minus manifeste quam ventriculus.

EXEMPLUM QUINTUM *.

Die vicesimo primo mensis Maii, A: D: MDCCCXVIII, *Mariæ Sleater*, ætatis circiter viginti quinque, pectore laboranti, præcepit MOLLAN, Eblanensis, sanguinis missionem, potionemque ex Sulphate Magnesiæ. Sanguis igitur missus est, posteaque salis cujusdam unciæ duæ, dupla portione Aquæ solutæ, accipiebantur. Vix

* Dublin Hospital Reports and Communications, Vol: ii.

potione sumpta, vomitu, cum ardore ventriculi mulier corripitur, alvum et urinam reddidit, facies membraque palluerunt, cute hinc illinc frigido sudore perfusa. Vomitus assidue urget, supervenit nervorum distentio, et tertia fere horæ parte, post venenum acceptum, vitam finivit. Portio medicamenti, ad drachmas duas, quæ imum vasis petierat, arte explorata, Acidum Oxalicum esse deprehenditur.

Cadavere hora quadragesima sexta post mortem introspecto, ventriculus jam putrescens cernitur, humoris atri uncias circiter octo continens, soloque digitorum tactu tunica serosa ab aliis disjungitur. Tunica mucosa solito crassior, maculas nigras, quasi ex sanguine effuso, ostendit; interstitiaque, præsertim apud magnam curvaturam, turgentibus vasis referta. Tunica duodeni mucosa, usque ad secundum flexum, similes quidem sed minus evidentes notas exhibet, intestinum colon, partim ampliatum, partim coarctatum, observatur.

EXEMPLUM SEXTUM *.

Die vicesimo primo mensis Januarii, A: D: MDCCCXIX, paulo ante horam primam P: M: mulier triginta et octo annorum, pro Sulphate Magnesiæ, sex drachmas Acidi Oxalici, quod domo erat, sumpsit. Errore statim percepto, aquæ calidæ magnam copiam, quæ vomitum movit, necnon vomitorium, cepit. SMITH tertia circiter horæ parte post eventum ingressus, ægram humo recumbentem et summopere cruciatam invenit. Vomitu assiduo, humorem atrum, quasi sanguine venoso tinctum, eructabat; alvum bis dejecit; membra simul frigent; pulsus sentiri nequit; vultus subruber, dolorem denotat. Vomitu paululum intermisso, exurentem dolorem epigastrii, reliqui corporis algorem, conquerebatur. Jusculo ovillo Carbonati Calcis mixto, quod in promptu erat, ad acidum saturandum liberaliter ingesto, humor vomitu ejectus, post semi horæ spatium, acidum saporem

* London Medical Repository, Vol: xii, p: 18. Anno 1820.

amiserat, neque Carbonate Calcis addito effervit. Ægra, propter algorem et imbecillitatem, lecto commissa, et stragulis obvoluta, Spiritus Vini Gallici potiunculam aqua calida diluti, cum guttis aliquot Tincturæ Opii, non sine levamine accepit. Enema purgans alvum solvit, sed Oleum Ricini ore sumptum vomitu rejectum fuit. Facies tumefacta est, lingua nitida, fauces interiorque oris pars cum punctione dolent, et sapore maxime injucundo vexantur. Vespere, pulsus calorque gradatim redeunt, dolor ventris pressu auctus, vesicatorio, potioneque salina effervescente, cum Tinctura Opii, sedatur. Torpor crurum, cum sensu formicationis, paulisper perstant; sed alvo Sulphate Magnesiæ diligenter soluta, et idoneo victu instituto, paucis diebus revaluit ægra.

EXEMPLUM SEPTIMUM.

Amicus meus, KILIAN, medicus Petropolitanus, exemplum subjunctum, quod in Germania occurrit, mihi narravit.

Carolus Bingmann, ætatis anno duodevicesimo, errore pharmacopolæ, loco Sulphatis Magnesiæ, semi-unciam Acidi Oxalici, aqua solutam, devora-

vit. Veneni effectus, brevi apparuerunt, homo crebro vomitu, ventris doloribus, alvinisque dejectionibus, exercetur. Tormina vehementia, clamores concitent, corpusque antrorsum inclinatur. Tinnitus aurium, vertiginesque, et sopor, sequuntur; atque horis circiter duodecim, postquam venenum cepisset, expiravit. Cadavere secto, ventriculus et intestina inflammata reperiuntur, priorque maculas quasdam nigras ostendit. Vasa cerebri sanguine turgent.

Hactenus de exemplis casu oblatis. Ad noxias autem hujus Acidi facultates accuratius explorandas, experimenta quædam THOMSON * fecit, de quibus nunc ordine dicam.

EXPERIMENTUM PRIMUM.

Semi-drachma Acidi Oxalici, aquæ drachma soluti, in ventriculum firmi sanique cuniculi injiciebatur. Statim bestia quasi ebria titubavit, in latus decubuit, rursus assurrexit, et post duas con-

* London Medical Repository, Vol: iii; p: 382, Anno 1815.

vulsiones, subito obiit. Corporis calor, tertia horæ parte post mortem introspecti, jamque rigidi, gradum 77^{m} instrumenti Fahrenheitiani attingit; lingua faucesque albidæ sunt, et muco viscido obductæ; os spuma impletur. Ventriculus juxta magnam curvaturam in pulpam conversus levissimo tactu dirumpitur; vasa sanguifera latiora sunt, atque nigro colore; aliæ intestini partes, muco coagulato excepto, recte se habent. Pulmo, præcipue prope ventriculum, inflammatur. Spuma oris, et bronchiorum, sanguis pulmonis, cordis, ventris, et renum, chartam Lichene Rocella tinctam rubefacit, et alias acidi notas ostendit. Nulla vero, vel in cerebro, vel in vesica urinæ, invenitur.

EXPERIMENTUM SECUNDUM.

Grana decem Acidi Oxalici, aquæ drachmis duabus soluta, in ventriculum cuniculi, incisione gulæ facta, infunduntur. Bestia in latus decumbit, convulsionibus distorquetur, et post duodecimam horæ partem emoritur. Cadavere pari spatio post mortem inciso, ventriculus eundem aspectum quem in priore experimento demonstrat;

membrana mucosa, florido colore est, atque in pulpam conversa. Mucus juxta pylorum coactus est, pulmo inflammatur, sed nullum acidi signum, vel in illo, vel in sanguine, reperitur.

EXPERIMENTUM TERTIUM.

Post multos conatus, drachma Acidi Oxalici aquæ uncia soluta, in ventriculum canis integri, mediæque staturæ, immittitur. Post tricesimam horæ partem, os bestiæ spuma impletur, nauseam habet, vomituque valido et crebro, primum cibos, postea viscidum tenacemque mucum, ejecit. Brevi spiritus difficilis fit, stertit animal, in latus decumbit, rigescit, et sexta horæ parte post veneficium, vehementer convulsum interivit.

Cadavere adhuc tepente patefacto, ventriculus parvas nigrasque maculas ostendit, præcipue in fundo, ubi grandior una florida areola circumdatur. Eodem loco parietes ventriculi fere pellucent, vasaque sanguifera nigro colore sunt. Rugæ membranæ mucosæ manifeste conspiciuntur, una macula excepta, ubi membrana fere deletur. Humor viscidus et ater, qui chartam Rocella tinctam rubefacit, in ventriculo continetur. Nulla

signa Acidi Oxalici in sanguine abdominis apparent; in corde autem sanguis niger fuit, et supradictam cœruleam chartam rubefecit.

Hæc clari THOMSON experimenta ipse accurata inveni, paucaque alia eodem spectantia adjeci.

EXPERIMENTUM QUARTUM.

In cuniculi intestinum rectum, duas circiter drachmas aquæ Acido Oxalico saturatæ injeci. Post minuta octo, animal convulsionibus corripitur, et obiit. Incisione corporis statim facta, venas quæ per rectum colonque discurrunt nigro colore sunt; sanguis iis inclusus chartam cœruleam rubefecit; sanguis venæ cavæ minus obscurus eandem chartam haud mutavit. Intestina colon et rectum leviter inflammata, Aqua Calcis teste, Acidum continebant.

EXPERIMENTUM QUINTUM.

Drachmam Acidi Oxalici concreti in telam tergoris cuniculi cavernosam inserui; animal parum inde vexatum post semihoram cibum cepit, et sequente die bene se habuit. Simile experimentum a parte interna femoris alii cuniculi, acido liquato,

perfeci. Bestia signa doloris edidit, sed postero die integra fuit. In utroque experimento vulnus inflammabatur.

EXPERIMENTUM SEXTUM.

Pauxillum aquæ eodem Acido saturatæ, in venam jugularem cuniculi infusum, statim bestiam jugulavit. Sanguis nigro colore et fluidus invenitur.

Hoc Acidum, sive in ventriculum, sive in intestinum injectum, semper in venis reperi, quod sententiam MAGENDIE * et MEYER †, resorptionem nempe per venas fieri, quodammodo confirmare videtur. Color niger sanguinis inter signa Acidi Oxalici sanguinis commisti numerari potest; sanguis enim ex brachio missus, hoc acido imbutus, nigrescit, et sine putredine diu liquidus perstat.

Exemplis et experimentis supra memoratis, generalia quædam ex iis deducta subjicere placet.

---

* MAGENDIE, Précis Elementaire de Physiologie, Tome ii. 1817.

† Bibliotheque Universelle, Tome vii, 1818.

DE SIGNIS.

Simul atque certam portionem Acidi Oxalici sumpserit aliquis, ardorem validum in gutture gulaque et ventriculo sentit. Si paululum in ore detineatur, ulcera curatu difficilia ibi excitantur *. Vomitu, deinde, et doloribus in ventre vehementibus corripitur, humorem atrum, aliquando sanguinolentum, ejicit, dejectionesque habet. Venter summopere cruciatus manum, vel levissime comprimentem, sustinere nequit; spiritus difficilis fit, singultus accedit, facies pallida et adstricta dolorem exprimit, et sæpe musculi ejus distorquentur. Cutis pallida frigido viscidoque sudore perfunditur, præsertim in membris, quæ haud raro convulsionibus afficiuntur. Æger imbecillimus est, pulsus parvus, frequens, et inordinatus, aliquando vix percipi potest. Lingua, inter initia medio albida, lateribus rubet, sed post paulo, veluti in febribus ty-

* London Medical Repository, Vol: vii, p: 586. Anno 1817.

phoideis, nigrescit. Interdum sopor vel delirium adjicitur, sed plerumque mens integra manet.

Attamen ex violentia veneni sæpe accidit paucis tantum ex his signis occasionem dari. Miser, diris torminibus, vomitu, convulsionibus corripitur, membra frigent, facies mutatur, et post quartam dimidiamve horæ partem, de medio tollitur.

In omnibus fere exemplis, ægri celerrime perierunt; in illo autem a Fraser narrato *, æger dies viginti et tres vixit, tandem febre lenta consumptus. Huic etiam, duobus ante mortem diebus, papulæ super cutem eruperunt.

DE IIS QUÆ CADAVERE SECTO CONSPICIUNTUR.

Incisio corporum illorum qui ex hoc veneno obierunt ventriculum valde inflammatum et humore nigro plenum ostendit, membranam mu-

* Vide supra, Exemplum Quartum, p: 6.

cosam hujus intestini nigro colore et vasis turgentibus refertam, alias abrasam, vel levissima frictione abradendam, unde fibræ musculosæ in conspectum veniunt. Ventriculus nonnunquam perforatus, humorque in ventrem delapsus, inveniuntur. Intestina inflammata, membrana gulæ interior deleta, effusus humor in cerebrum, atque cor sanguine fluido nigroque repletum, interdum observantur.

DE VENENI ACTIONE.

Soli irritationi diri hujus veneni actionem tribuere, mortis celeritas vetat. Thomson mortem ascribit muneribus cordis cerebrique, ob consensum illis partibus et ventriculo interpositum, suspensis. Eadem ratio a Brodie * redditur, arsenici veneficium investigante. Explicat Hume †, in exemplo a Royston narrato, valida affinitate

* Philosophical Transactions, Anno 1812.

† London Medical Repository, Vol: i, p: 382.

inter Acidum Oxalicum et Calcem, unde Phosphas Calcis fibræ animali insitus dissociatur. Id autem, his verbis, ORFILA * negat: "Il est bien avéré que l'Acide Oxalique que l'on fait digérer pendant une heure sur le Phosphate de Chaux, à la température de 40°, n'exerce point d'action sensible sur lui."

Acidum Oxalicum in classe venenorum erodentium collocavit ORFILA. Effectus edit iis similes qui ex acidis fossilibus oriuntur, forsitanque etiam majore vehementia agit. Ex semi-uncia enim hujus Acidi, sæpe horæ tertia dimidiave parte, vita extinguitur, ex unciis autem duabus Acidi Nitrici, non ante horas duodecim.

DE DIAGNOSI.

Acidum Oxalicum, ab aliis irritantibus venenis, sola signorum ratione discernere, difficillimum est. Cum autem pro Sulphate Magnesiæ plerumque assumptum sit, si quis, hujus salis nomine, acidum quid devoraverit, posteaque letha-

---

* Traité des Poisons, Tome I, p: 481, 2d Edit: 1818.

libus signis, quasi ex veneno, statim excipiatur, Acidum Oxalicum suspicari possumus. Si quid ex potione relictum, vel in ventriculo post mortem inventum, aqua solutum, Aqua Calcis dejiciatur, et quod descendit, Acido Nitrico, non autem ipso liquore superaddito, solubile sit, pro certo sciamus id esse Acidum Oxalicum. Calcis enim Tartras, aqua insolubilis, Acido tamen Tartarico solvitur *.

DE RATIONE MEDENDI.

CONSILIA medendi duo sunt; primum, venenum jam devoratum innoxium reddere; alterum, inflammationem inde oriundam sedare.

Ab experimentis clari THOMSON liquido constat, Carbonatem Calcis optimum esse hujus veneni antidotum †, Oxalatemque Calcis, rem plane innoxiam. Hic enim duas drachmas Acidi Oxalici, forma boli, feli dedit, quæ post semi-horam frigoribus nauseaque inutili exercebatur. Scru-

* ORFILA, loco citato.

† Vide quoque Exemplum Sextum, p. 10.

pulo dein Acidi aquæ drachmis tribus soluto, in ventriculum ejusdem felis per fistulam injecto, nausea intenditur, pupillæ ampliantur, corpus distorquetur, clamorque et totus bestiæ habitus dolorem denotant. Mistura autem Carbonatis Calcis statim ingesta, vomitum copiose excitavit, et post quartam horæ partem animal revaluit. Duæ drachmæ Oxalatis Calcis aqua mixtæ eidem feli postridie datæ, nihil incommodi afferre videbantur. Idem fere atque Calcis Carbonas Magnesia valet. A FRASER data, statim ægrum levavit. DESGRANGES quoque et ORFILA contra acida venena eandem commendant.

Hæc, igitur, quam celerrime aqua soluta, magna copia adhibenda sunt; vomitum movere solent, quo causa mali protinus subtrahatur. A vomitoriis, alias, cum inflammationem augere possint, abstinere debemus. His factis, ipsa inflammatio expugnanda est, sanguinis detractione, et ex brachio, et per hirudines ventri affixas, fomentis tepidis, emollientibus, veluti mucilagine gummi Arabici, lacte vaccino, decocto radicis Altheæ vel seminis Lini, et per os, et per anum, ingestis. Si membra frigescunt, aqua calida fo-

venda sunt. Post sanguinem missum, vesicatorium amplum, quod in cæteris abdominis inflammationibus a celeberrimo CULLENO jure laudatur, ventri admoveri potest. Purgantia, præcipue Oleum Ricini, aliquando data fuerunt; ne autem ventriculus jam inflammatus medicamentis exasperetur, alvum subinde ducere sufficiat. Opium, sive ad spasmos resolvendos, sive ac dolorem leniendum, adhibitum, utilissimum est.

Victus ratio tenuissima esse debet, vino cæterisque stimulantibus sedulo evitatis. Quod si morbus inveteraverit, ægrumque ventriculus imbecillus affligat, salus potius cibo modico et concoctu facili quam medicamentis molienda est.

Ex prolatis Experimentis Exemplisque, hæc denique colligere possumus.

1mo. Acidum Oxalicum validissimum esse venenum.

2do. Celerrime idem homines bestiasque jugulare, sive in ventriculum, sive in rectum, sive in venas injiciatur.

3tio. Telæ cavernosæ insitum, non resorberi, neque ullum effectum, nisi quod vulnus irritet, præstare.

4to. In canalem alimenti injectum, venis resorberi, atque in iis post mortem inveniri.

5to. Aquam Calcis optimum esse hujus veneni testimonium, Carbonatemque Calcis optimum antidotum.

FINIS.